



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata,
Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus,
Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiæ
forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XXVIII. De legitima extractione facienda instrumentorum Notarii
defuncti, aliorumque publicorum documentorum, seu actorum existentium
in archiviis, aliisque locis; Et tali occasione agitur de ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

signi Norarii, cum in plerisque partibus sit in usu utrumque, & in aliis sufficiat solum signum, quod sub se contineat subscriptionem, ideoque dictis legibus, vel stylis deferendum erit; In Curia vero utrumque adhibetur. *Ubi supra, & præsertim Cavaler. dicta decif. 122.*

In Regno autem Neapolitano, ut instrumentum dicatur verè publicum, & in forma probanti, juxta illas leges particulares, requiritur quod à Notario scriptum sit in charta pergamenta, seu de corio, cum eius signo, quo staret videtur loco subscriptionis, atque sit subscriptum, etiam per judicium ad contractus, & per tres testes literatos, id est scientes legere, & scribere, quando id quod in eo continetur importet ultra valorem librae auri, iuxta antiquam estimationem, ad rationem ducatorum sex pro qualibet uncia. Cum etiam hodie retinetur in aliqua parte, & præsertim in dotibus, quæ constituantur per plebeos, usus, qui antiquitus in omnibus contractibus, aliquis dispositionibus erat communis, atque magis retinetur in alio Regno Siciliae ultrà, adhibendi terminum, seu vocabulum *unciarum* ad dictam rationem ducatorum sex pro qualibet.) Ubi vero valor sit inferior, tunc ultra subscriptionem Judicis ad contractus, requiritur illa duorum testium, atque alias sine hac solemnitate instrumentum non dicitur in forma probante.

Verum quia ista nimia solemnitas, ob absentiem, vel mortem testium, sive ex aliis accidentibus, magnas difficultates, ac sumptus parere solebat; Hinc proinde, ut facilitati commercii magis consultum esset, iste rigor de facto retinetur solum inter præsentes, & in eodem loco, ubi agatur de instrumento incusando, seu liquidando, iuxta formam ritus illius M-iC. V. de qua particulariter agitur infra inter *Judicium summaria*, & *sequentia*; Pro reliquis autem iudicis, & præsertim pro illo, ibi adeo frequenter, quod *Affidantia* dicitur, de quo patiter infra inter *remedias*, vel inter dicta postflosaria, ab antiquo tempore inolevit usus præstandi fidem copiis authenticis, in simplici charta, quæ ibi bombycinica vulgo dicitur, inter præsentes, sive intra duas dietas; Paulatim vero per totum regnum, ac etiam in ipsa Regia Civitate, eiusque Tribunalibus, in causis locorum Regni id est in usu; Adhuc tamen, quando de causis gravibus agatur, earumque principale, vel præcipuum fundamentum in illius instrumenti veritate, ac forma probanti consistat; Parte opponentes, ad dictam formam probantem reducendum est; Maximè ubi sint mortui Notarius & testes; Idemque fortius ubi agatur de causis, quæ agitantur extra Regnum; Puta pro frequentiori contingencia in Curia Romana per appellationem ab Ordinariis locorum. *De dicta solemnitate rigorosa, eiusque moderatione, ut suprà Franch. & add. dec. 141. Rovit. pragm. 1. de fid. instrum. Hodern. contr. 32. & 38. & decif. 377. par. 11. reg.*

Potissimum, ut ego plures in facti contingentia dicere consuevi, ac subtinui, quoniam in Curia non admittitur dictus usus Regni deferendi copias habentibus solum attestationem Notarii extrahentis, dum de jure, copia non dicuntur instrumenta authentica, etiamsi extracta sint ab eodem Notario rogato, multò minus si ab alio, quoniam Aliud est copia, & aliud est instrumentum publicum, atque etenim copias, quandoque deferri solet, quatenus agatur de factis antiquis; Atque fomentum sufficientium miniculorum habeant. *Cavaler. decif.*

*79. Buratt. & add. decif. 243. 187. par. 5. rec. dec. 51.
p. 9. rec. tit. de testam. disc. 66.*

Cumque in eo Regno Notarii Regii habeant solum in usu dandi dictas copias, non autem instrumenta nisi juxta dictam formam; Hinc proinde non habetur ille usus instrumentorum publicorum in charta ordinaria, & cum sola subscriptione & signo Notarii, ut in Curia, aliisque partibus in usu est.

Et quamvis aliqui crediderint, quod cum hæc forma proveniat ab illis legibus laicalibus, idcirco necessaria non sit in causis Ecclesiasticis, & personarum Ecclesiasticarum, quæ præsertim in Tribunalibus Curiae Romanae, vel in aliis fori Ecclesiasticæ agantur, ratione exemptionis à dictis legibus, Attainen id continet aequivocum ab eadem Rota, elucidatum, occasione legis inhabilitantis Notarios vassallos in instrumentis, quæ favorem vel ordinum Baronum concernant. *Bich. decif. 23. & 91. Royas decif. 198. lib. 1. de feud. disc. 29.* Ex ea clara &c. convincing ratione, quod scilicet leges laicales, non tollunt fidem instrumento, quod alias fide dignum esset, unde propterea suam faceret operationem cum personis Ecclesiasticis non subditis, suum jus eis tollendo, sed adiunxit fidem Notario eadē laicali auctoritate creata, ita declarando, quod non censeatur sibi data potestas, nisi quatenus servetur forma præscripta.

Ad occurendum itaque huic difficultati, pro causis extra Regnum, & præsertim in Curia tractandis, prudenter aliqui Notarii, illi præsertim, qui in eadem Regia Civitate, majora & graviora negotia agere solent, curant obtinere quoque Apostolicam auctoritatem, & consequenter tanquam Notarii Apostolici, dant, seu conficiunt instrumenta pro foro Ecclesiastico, eo modo quo de jure communi, & de stylo Curiae sufficit; Ac etiam aliqui obtinent quoque auctoritatem Imperiale pro instrumentis deservientibus pro relibris Italie partibus, præsertim Lombardia, & Hetruria, vel etiam extra Italiam, ne ita urget necessitas, que incumbit Notarii, qui Regia tantum auctoritate creati sint dictam formam servandi.

Procedunt hæc in instrumentis publicis, quæ cum debita forma, ut supra de jure communi, vel particulari respectivè extrahantur per ipsosmet Notarios rogatos, quorum respectu compulsoria, vel alia similis forma necessaria non est; Ubi vero agatur de re assumptione, vel extractione per alium facta vel facienda, cum tunc majores intrent difficultates; seu requirantur solemnitates, idcirco agitur particulariter, *discursu sequenti.*

De legitima extractione facienda instrumentorum Notarii defuncti, aliorumque publicorum documentorum, seu auctorum existentium in archiviis, aliisque locis; Et tali occasione agitur de materia compulsoria.

Ac etiam, an & quando una Pars teneatur alteri edere eius jura, vel scripturas.

Et de materia productionis, vel repetitionis.

S V M M A R I V M.
Necessaria non est compulsoria in instrumentis extractis ab ipso Notario rogato, vel successore.

- 2 Secus autem in iis, que ab alio extrahantur.
- 3 Quid sit compulsoria.
- 4 De eius duplice specie.
- 5 De differentia inter generalem & specialem, & quod procedat in omnibus cum terminis remissione.
- 6 Quod non expedit disputationes desuper assumere, remissive.
- 7 De alia differentia antiqua inter compulsorium generali, & speciale in Rota.
- 8 De eodem de quo num. 1 circa successorem, vel ratione officii.
- 9 Falsit in officiali deputato per colligantem.
- 10 Quod quandoque neque compulsoria sufficiat, sed debeat exhiberi origine.
- 11 De juribus extrahendis ab actis Notarii defunctorum.
- 12 De duabus speciebus Notariorum in officium, & jure privato.
- 13 In prima specie successor est idem, ac predecessor.
- 14 In altera specie scripture remanent in hereditate Notarii, & quomodo sit provisum in Urbe, & Statu Ecclesiastico.
- 15 Successor Notarii privati non extrahit sine compulsoria.
- 16 De praxi Regni Neapolitani circa extractionem instrumenti ex scripturis Notarii defunctorum.
- 17 De eodem, & de facultatibus illorum Notariorum.
- 18 Quid ubi facultates non intrent.
- 19 Copia vel fides instrumenti non probat, quod tamen declaratur inter presentes.
- 20 Iura informia probant si pars citata non opponit, quod declaratur.
- 21 Item iura informia admiculata probant.
- 22 De fide praefienda archivio, & de quo archivio est.
- 23 De eodem, & an solum archivium sufficiat.
- 24 De fraudibus que fieri solent in archivis.
- 25 De copia vel sumpto extracto ab actis.
- 26 De amissione scripture, eusque tenore probando per testes, & quid requiratur.
- 27 De eodem cum distinctione casus amissionis.
- 28 De occupante, vel lacerante scripturas.
- 29 An una pars teneatur edere alteri eius scripturas, & iura.
- 30 De eodem, & quando haec obligatio magis ardet.
- 31 An exhibito presumatur integra.
- 32 De coactione ad facilius, vel sufficiat offerre interesse.
- 33 De confessione, vel approbatione, que resultat a productione.
- 34 Quando productio dicatur facta realiter, & quando verbaliter.
- 35 An & quando sufficiat sola verbalis.
- 36 Debet fieri parte citata, & quando citatio non requiratur.
- 37 An productio in uno iudicio sufficiat pro alio.
- 38 Generalis productio non sufficit.
- 39 Minusque eius assertio.

DISC. XXVIII.

DE instrumentis in publicam formam extractis ab ipsomet Notario rogato, & pro quibus forma, vel solemnitas compulsoria necessaria non est, quamvis lite pendente edantur,

dummodo publici instrumenti formam ac requisita habeant, habetur actum supra. *discursu precedenti.*

Ubi vero, Notario defuncto, contingat extractionem fieri ab alio, quam ab ipsomet, qui de actu sit rogatus; Quatenus pertinet ad regulas iuris communis, aut ad Romanæ Curiae stylum; Regula est, ut non deferatur instrumentis per diversum Notarium extractis, nisi cum solemnitate compulsoria, cuius terminus, videtur Romanæ Curie specialis, eo modo quo altera remissoria, de quo infra, Adeo ut quamvis ad Curiam accesserit post aliquam munera expleta, hujusque facultatis aliquod exercitium; Adhuc tamen hujusmodi termini visi sunt novi,

Compulsoria itaque, est quedam commissio, quam judex, coram quo causa penderit, tradit Ordinario loci, vel alteri persona in ecclesiastica dignitate constituta existenti in partibus, in quibus adficit scriptura extractenda, ut assumpto publico, & probato Notario, citata, & audita Parte interessata, factaque debita recognitione prothocollis, vel alterius originalis, ex quo publicum instrumentum, vel aliud authenticum transumptum extractendum est, hujusmodi extractionem fieri posse ac debere decernat, ita jure delegationis, supplendo, vel explicando, partes judicis causa, si praetens est in loco, adeo ut causa Judex, non Notarii extrahentis, sed Judicis delegati fidem sequatur, super actu judiciali, qui servatis servandis, parte intercessata citata in forma judicij sit gestus.

Duplex autem est compulsoria species, una scilicet generalis, & altera specialis, Generalis est illa, qua non petitur, neque conceditur pro extractione aliquarum certarum scripturarum, sed in genere pro omnibus, & quibuscumque iuribus ad causam facientibus, Specialis vero est illa, qua petitur pro extractione certarum scripturarum.

Notabilis vero differentia est, inter unam & alteram speciem, quoniam prima, secum non trahit dilationem, seu retardationem cursus cause, ut facit altera; Et consequenter cum compulsoria generalis, collitanti nullum inferat prejudicium, neque habeat illam suspicionem, quam ex dicta ratione dilationis, vel retardationis habet specialis, non assumitur super eius concessione formales disputationes, sed cuilibet petenti conceditur, etiam sine citatione Partis, que necessaria est in eius executione, coram illo, qui assumatur eius Judex, vel exequitor in partibus, profaciendo actu extractionis, Neque dirigitur certa, & particulari persona, sive certo magistratu, sed omnibus, & quibuscumque.

Specialis vero, ob suspicionem calumniae, quæ illi ratione dictæ dilationis inesse solet, ut ita scilicet sub hoc praetextu, Reus ac postessor, Auctorem defatiget, atque causam in longum protrahat, (codem modo quo in remissoria frequentior praxis docet) in eius concessione requirit citationem Partis cum exhibitione copia, vel sumptu illarum scripturarum pro quarum solemnni extractione in forma probanti petitur compulsoria; Atque se opponente altera Parte, deficerit assumitur formalis disputationis, atque in causis Rotalibus, id sequitur cum dubio particulari, super cuius resolutione duntur decisiones, dum ita cadunt omnes illæ questiones, vel imperfectiones, de quibus habetur infra in discursu remissoria, dum à pari ex rationis identitate in omnibus procedunt compulsoria, & remissoria, tam super calumnia, quam super irrelevantia;

Ac

Ac etiam quia aliquando colligans, ut hæc subterfugia evitet, dare solet scripturam informem pro extracta, ut habeatur, ac si esset in forma probanti, ex illis prudentialibus regulis, de quibus habetur infra in dicto discursu remissoria; Atque ubi ea danda sit, deputatur Judex particularis, Partibus non suspectus, prævia discussione confidentium & dissidentium, eo modo quo in remissoria, & generaliter in aliis delegationibus, iuxta formulas Notariorum, que registratæ habentur apud illos Practicos, potius mechanici sunt, & transcriptores, quam scientifici; Et quæ pro consueta Practicorum scientia omnibus notæ sunt per traditiones.

Alia item dignoscetatur antiquitus differentia inter compulsaionem specialem & generalem in causis Rotalibus, quod pro speciali requirebantur particularis commissio Papæ; Verum hodie ob Innocentianam hac necessitas cessat, dummodo causa cognita ut supra, ea concedatur.

Isti solemnis extractio cum compulsaione, necessaria non est in illis iuribus, que extrahantur per ipsum Notarium rogatum, sive per ejus successorem in officio, aut alterum publicum officiale ad id deputatum, ut ex gr. sunt Notarii seu Actuariorum respectu actorum judicialium, vel Secretarii, ut Cancellarii, sive Archivista, alio nomine nuncupati respectu illarum scripturarum, que in aliquo archivio, vel alio loco, sive in aliquibus libris & registris sint sub munere & custodia illius officialis, qui in summa deponat de periculis ad eius officium, quod ita exerceat; Ad instar eorum quæ habemus in Notario rogato, vel in eius successore.

Gregor. & decr. 38. add. ad Buratt. decr. 4. 4. decr. 284 ex num. 7. par. 7.

Nisi tamen iste officialis deputatus esset per colligantem, cuius sit archivium, vel regitrum, seu liber, unde compulsaio facienda est, cum tali casu non intreratio publica & non suspecta fidei, que per legem presumitur, seu presupponitur in publico officiali indifferenti, deputato per principem, vel per alium superiorum pariter indifferentem, cum tunc necessaria sit compulsaio, principaliiter pro magis ex alta recognitione matricis, seu originalis, que ita per colligantem in proprio archivio seu registro per eundem officiale a te deputatum, suumque famulum, seu ministrum dependentem, confungi, seu alterari potuerit, ut quandoque praxis docuit; Adeo ut pro causarum gravitate, & pro qualitate suspicionis, eiusque argumentorum, ac etiam pro facilitori vel difficultiori praxi, juxta locorum, seu regionum distantiam; vel aliam qualitatem, neque istud compulsaio remedium sufficiens reputetur, sed demandari soleat, aportatio originalis ad Urbem, ut oculis Judicis subiectari; Dummodo altera Pars quæ suspicionem habet, & allegat, se offerat proprio sumptu, proprio periculo hanc aportationem facere, ne alias detur occasio fraudibus, & machinationibus in tunc, astanti peremptionem originalis, *decr. 110. num. 5. par. 10. Ferrarien. pensions 12. Marti 1647. & 7. Februario 1648. coram Ghislario, quam primæ est decr. 32. ead. par. 10.* Ideoque ista praxis nimis rara est, non apta recipere certam regulam, sed pro singulorum casuum particularibus circumstantiis ex prudenti, beneque regulato arbitrio Judicis pendet.

Procedunt hæc, circa fidem dandam iuribus extractis per officiale ad id deputatum, ut plurimum in iuribus judicialibus existentibus in archi-

vio alicuius Curia vel Tribunalis, sive in registris vel aliis documentis existentibus in archiviis publicis principatus, cum similibus; Quo verò ad instrumenta extrahenda, ex prothocollo, vel ex actis alicuius Notarii defuncti, seu civiliter mortui, ob mutationem status, vel ob sibi interdictum officii exercitium, adeo ut per alium extractio facienda sit, non de faciliter potest certa regula generalis, quibuscumque locis, & casibus applicabilis, ob stylos diversos regionum, seu locorum, diversaque species Notariorum.

Agendo siquidem de praxi Urbis, & Status ecclesiastici, duæ sunt species Notariorum, qui super actibus voluntariis, & non contentiosis, instrumenta facere solent; Una scilicet eorum, qui habent notarium in officium à Principe, vel ab altero ad id potestatem habente, cum iure, seu facultate gerendi etiam aetæ judicialia, in quibus principaliter eorum munus consistit, adeo ut omnes scripturae sint annexe officio, cum quo, ubi officium sit vacabile, devolvuntur, ac respectivè alteri per principem vel alium conceduntur, ut sunt illa officia, de quibus in Regalium sede vel materia plures agunt, *tit. de Regal. difc. 7. cum pluribus seqq.* Et alii sunt Notarii privati, qui vulgo instrumentantes tantum dicuntur, quia nempe sunt creati Notarii à Papa, vel à Collegio Prothonotariorum sive à Collegio, aut Scriptorum ab altero ad hanc facultatem habente, atque descripti in Archivio, privatæ domi viventes, extrahentium libito, pro eorum peritia, vel fide, assumuntur super privatis conventionibus.

In prima specie Notariorum, qui verè publici sunt, datur formalis successor subrogatus in omnibus loco predecessoris, eo quia semper unum, & idem est officium, eademque persona formalis Notarii, Personæ vero materialis, quæ mutantur, considerantur, & tanquam instrumentum seu organum, sive tanquam ministri, id est nullum cadit dubium, quin successor absque alia solemnitate det instrumentum publicum super rogatu predecessoris.

In altera verò specie, non datur formalis successor, cum sit jus mere personale, id est de jure prothocollus remaneat in hereditate Notarii defuncti, atque emolumenta pertinent ad heredes; *tit. 4* Unde propterea passim de jure habetur mentio de usu fructu, aliave privata pertinentia, hujusmodi prothocollorum, & emolumenterum, *tit. de serv. ad materiam usus fructus.*

Verum prudenter provisum est, ut prothocollis, aliave matricis, aportentur ad publicum archivium in certo loco deputatum, ut exinde, Notarius, vel alter officialis, deputatus custodire archivii, extrahat instrumenta; Et consequenter dicitur facta extractio per officiale, deponentem de re spestante ad officium suum.

Sed si casus prebeat, quod hæc aportatio ad publicum archivium non fiat, adeo ut scriptura retineantur per heredem, qui sit etiam Notarius privato jure, id est extractionem faciat, vel eo permittente, eam faciat alter privatus Notarius; quamvis hæres ex eius libito scripturas custodiendas tradiderit, sive venditionis, aut donationis titulo concesserit, non per hoc tamen dici potest extractio facta per successorem ratione officii; Et per consequens requiritur compulsaio, sine cuius solemnitate, non dicitur instrumentum in forma probanti; Atque ad has distinctiones reflectendum est, cum frequens praxis doceat æquivocorum

rum

rum incursum, quodque sepius capitatur, quid pro quo.

Indicto autem Regno Neapolitano, diversa est praxis, quoniam Notarii actitantes, sive in titulum juxta proxim Urbis, sive jure conductionis annalis, vel ad aliud tempus, à Baronibus, vel à Communitatibus, aut ab aliis habentibus in titulum, acta solum judicialia peragunt, ipsique, non vocantur Notarii sed actuarii, seu magistri actorum, atque se non ingenerunt in rogatis privatuarum conventionum, praterquam in illis obligationibus, que dicuntur penes acta Curia; Unde si casus praebeat, ut ille, qui, vel in officium, vel jure conductionis est Actarius, sit etiam Notarius, atque de aliquibus instrumentis rogetur, tunc hujusmodi rogatus non remanent in actis, sed dicuntur de proprio ac privato protocollo, cum ea reduplicatio personarum formalium, que passim ex legi fictione, datur in eadem persona materiali. Unde propterea ipsis morientibus remanent protocollii, aliasque originales scriptura, apud eum haeredes; Et quamvis per Regias ordinationes, quando heres non sit etiam Notarius, teneatur, vel in custodiam, sive per viam alienationis, eas tradere alteri Notario; Attamen, excepta Regia Civitate, in qua Notarii superflites, diligenter curant acquirere schedules, & scripturas Notarii morientis, in aliis Regni Civitatibus, & locis, & praesertim in parvis, meo tempore, parum id servabantur; Sed quomodo cum quicunque, dici non potest, quod adit illa successio in officio, que, ut supra, verificatur in habitibus officium vacuum, cum dicatur potius successor voluntarius jure privato; Et per consequens de stricta juris censura, necessaria est solemnitas compunctionis.

Verum in illis Tribunalibus, ea in usu non est, ob facultatem, que eisdem Notariis, in eorum privilegio expresse tribuitur, reassumendi in publicam formam instrumenta, cujuslibet alterius Notarii defuncti, dummodo vivant duo testes, vel unus, & Judex ad contractus, cum quorum interventu, recognoscitur protocollus, seu matrix, ex qua rea sumptio fiat; Atque super hoc actu, cum aliis testibus, alioque Judice ad contractus, Notarius conficit quandam speciem novi rogitus, ac propterea in ipso instrumento, quod in publica forma reassumitur, se subscribunt testes, antiqui & moderni, illi que dicuntur, in primis gestis, illi vero in novis gestis.

Quatenus vero, ad limites privilegii, non verificetur superviventia testium, ut supra, adeo ut haec facultas defit; Tunc servatur in effectu, sub aliquo tam diverso stylo, & solemnitas compulsoria, quod scilicet obtinetur Regis provisio, directa in iudicio ordinario loci, super recognitione scripturarum originalium, ex qua rea sumptio instrumenti facienda est, atque comperto, originalem matricem Notarii defuncti, cum suis requisitis, à falsitatis vel suppositionis suspicione alienam esse committit Notario, ac alteri Judici ad contractus, & testibus qui in eo actu intervenerunt, ut publicum instrumentum desuper reassumant, & subscriptant; Atque ita forte, mutatis mutandis, in aliis dictioribus servabitur, cum totum pendeat, quod substantiam ab eodem principio, quamvis modis, vel stylis, sint diversi.

Praesupposito autem, quod instrumentum, vel aliud documentum, hanc formam probantem non habeat, tunc non dicitur instrumentum, neque probationem facit, quamvis (ut supra insinuatum

est) ageretur de copia, vel de fide eiusdem Notarii rogati. Buratt. dec. 543. num. 1. dec. 135. par. 1. rec. Hujusmodi vero copias, vel fidibus, ex quadam styllo, defertur inter praesentes, parte non opponente, dum ita ea incontinenti de veritate certificari posse, cum inspectione protocollii, siue originalis, unde de facilis instrumentum publicum resumum protest. dec. 264. num. 11. & 265. num. 5. par. 7. rec.

Adhuc tamen quandoque scripturis, ac juribus informibus deferri solet; Vel scilicet, quando altera pars citata ad dicendum contra, nihil opponat, quoniam tunc si ipsa non opponere, feratur sententia, non poterit dicere de illius nullitate, eo quia non justificetur ex actis ob deficientem formam probantem. Mantic. dec. 127. num. 2. dec. 283. num. 15. par. 11. Bene verum quod in gradu appellacionis, vel restitutionis in integrum, si formiter de hoc opponat, admittitur oppositio, atque facienda est recognitio, cum negligenter prajudicet in illa substantia tantum non autem in ulteriori. Danozett. decij. 543. num. 3.

Defertur item juribus, quamvis informibus, quando sint bene adminiculata; Potissimum vero ubi accedit adminiculum observantiae quod in hoc proposito vehementissimum reputatur; Buratt. & add. dec. 243. Bich. dec. 622. num. 11. & l. 9. rit. de. Testam. dis. 26. & 66. Non tamen in hac materia adminiculorum dari potest regula, certa & generalis, quoniam (ut nimium frequenter in omni ferè materia advertitur) totum pendet ex singulorum casuum particularibus circumstantiis, ex quibus in uno casu aliqua adminicula sufficiencia fint, in altero autem, eadem, ac majora sint insufficientia, at tenta gravitate materiæ, qualitate personarum, & regionis, aliisque hujusmodi considerari solitis, & potissimum, (ut dictum est,) attenta qualitate observationis.

Et quoniam, pro nostris praesertim Italiae moribus, quando agitur de factis antiquis, iura seu documenta extrahi solent ab archivis per eorumdem archiviorum custodes, vel officiales, qui ut supra, loco Notariorum habentur; Hinc proinde, questiones frequenter cadunt, super fidei archivio prestanda; Atque in primis eius qualitas inspicienda est, an scilicet sit archivum publicum, & jurisdictionale, ut sunt archivia Principum, aliorumque publicorum Magistratum secularium, ac etiam illa Episcorum & Civitatum, sive sunt quedam archivia Monasteriorum, quæ ratione antiquitatis ac probata fidei, & diligentis custodiae, publica reputantur; Ut (ex gr.) est celebre archivium Cassinense, cum similibus; Positaque publicitate inspicendum est, an eiudem archivii dominus in causa de qua agitur, sit collitigans, sive aliquod interesse habeat, cum tunc archivio non deferatur, eo modo quo deferendum est in causa inter tertios, absque illius interesse mixtura. dec. 59. par. 11. Bich. dec. 246. Ottob. dec. 245.

Præterea, solum archivium, robur non præbet scripturæ informi, quæ ibi reperiuntur, cum quilibet possit affectare in eo scripturas reponere, ut postea sumptum authenticum extrahatur, pro eius intentione fundanda, sed ipsa scriptura, habere debet faciem, ac formam publicæ, ac probantis, quodque ab antiquo ibi inter alias antiquas scripturas extiterit, & non constet de suppositione, Bich. dec. 246. & dec. 59. p. 11. Quamvis etenim machinatores, illi praesertim, qui inanis gloriae cupidi, seu verius, in hoc genere stulti manifesti nobilitates ita affectant prævidentes has difficultates, curent, ut per antiquitatem

quiritatis imitatores, effingantur privilegia, & documenta, quae habeant characterem, ad formam illorum temporum, eaque carent, reponi in illis scrinii vel arculis, in quibus consimilia documenta vera affervantur; Attamen impossibile est, ut lex humanae malitiae, omnino occurrere valeat. Ideoque in casus occurrentia, prudens, & oculatus Judex, alia adminicula in dagate debet, illud praesertim verisimilitudinis, vel inversimilitudinis.

Deferratur item quandoque simplicibus copiis vel sumptis, quae reperiantur in actis, quia nempe, pro frequenti stylo, exhibeat in actis scriptura originalis, cum facultate illam reassumendi, relicta in eisdem actis copia collationata; Verum in hoc, nimium circumspete procedendum est, pro facti qualitate, & an agatur de negotio recenti, vel antiquo, dum sola antiquitas non sufficit, nisi etiam urgentia accedant adminicula, quoniam alias quilibet posset pro libito configere aliquam sibi opportunam scripturam, illamque tanquam originalem producere, deindeque eam reassumere, ut falsitas convinci non possit, fundando ejus intentionem in dicto sumpto productio in actis. tit. de date disc. 22. Hinc propterea universa hæc materia facti potius, quam juris dicenda est, uniformem generalem regulam non recipiens, sed pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis decidenda.

Datur etiam aliquando casus, ut id, quod de sua natura per scripturam justificandum est, justificetur per testes, ob scripturam scilicet amissionem; Nimium tamen rari videntur casus, in quibus ista species probationis perfectæ, & concludentis verisicutur, ob multa requisita, quia desperaver desiderantur; Primo scilicet illius scripturæ & non culposa, non autem culposa, & affectata amissionis; Secundo, ut constet de precedenti existentia in eo loco, in quo casus contingit; Et tertio quod testes valde peritis, beneque informati, de illius scripturæ tenore deponant, bonas & concludentes scientias causas assignando; Atque rigorose in hac probatione procedendum est, ratione ejusdem superius insinuatæ machinationis & malitia, ut alibi adveritur. tit. de juri duci. disc. 1. 1.

Reflexebam quoque in casus contingentia, ut in hoc proposito haberet ratio qualitatis casus, vel accidentis, an & effectus accidentis privatum, in quo dictæ affectionis suspicio cadere valeat, vel è converso publicum, vel notorium, quod non illam solam scripturam, sed multas alias percūiat, ut in excidiis, vel incendiis contingit, ut scilicet magis benignè isto casu procedatur, quam in altero; Ac etiam, an scriptura, quæ amissa supponitur, sit verisimilis, & fieri solita, illaque potius allegetur ad se excusandum, à damno & præjudicio; Ut (ex. gr.) si hæres alleget confessio inventarium in actis illius Curie, cuius scriptura perierint, ne ita ultra vires teneatur; Vel è converso, quis agendo alleget aliquod exorbitans privilegium, vel aliud documentum, cum similibus, pro facti qualitate. tit. de hære de in Arianen. in supplemento.

Quatenus vero, scripturae, per alteram partem occupentur, seu lacerentur, aut comburantur, quoties id licite fieri non potuit tanquam de scripturis, quae non effectus propriæ tueque liberae dispositionis & tunc iste actus fundat intentio-

Card. de Luca de iudicis & judicialibus.

nem alterius partis in eo, quod afferat in illa scriptura contineri. Scribentes apud Farinas. lib. 1. confit. 43. idem queſt. 150. par. 7. Id autem circumspete etiam intelligendum est, ad instar eorum, quæ habentur in juramento in item, ut scilicet fo- mentum adminiculorum accedat.

Quamvis etenim ea, quæ de casu amissionis vel de altero lacerationis, aut occupationis, dicta sunt, æquè percutiant instrumenta, aliave documenta, ac scripturas privatas, de quibus disc. sequ. particularis inspectio habetur; Attamen pro frequentiori contingentia, occasione publicarum scripturarum de hoc agitur.

Idemque circa materiam editionis, de qua in Curia frequenter disputari solet; Quamvis enim juris regula sit, quod una Pars non tenetur alteri edere ejus jura; Attamen de recepto stylo Romanæ Curie, fundato in quadam æquitate canonica, quæ veritatem attendit, atque juris civilis subtilitates abhorret, tenetur cōstituto de suis requisitis; Primo nempe de existentia de tempore motæ litis, vel postea; Secundò de interesse petentis; Et tertio de casu subsidii, quod scilicet aliunde haberi non valeat; Ita tamen ut primum requisitum, plenam, ac perfectam probationem habeat, cum ad id non sufficiat præsumpta, quamvis agatur de hærede, qui admittitur ad jurandum non habere, neque dolo desisse possidere. Gregor. & add. dec. 129. & 199. Buratt. & add. decis. 266. & 278. dec. 237. par. 11. rev. & sep. 5.

Nisi de illo agatur, qui ex debito officii tenetur eas scripturas conservare, cujus respectu sufficit probatio existentia etiam ante item. add. ad Buratt. dicta decis. 278. dec. 207. par. 10. rec. ubi de Notario. Aut ubi ad eaurum exhibitionem obligatio acceperit. Rot. in Pisauren. redditionis rationis 5. Aprilis 1666. coram Albergato.

Exhibenti autem scripturas, ac afferenti alias non habore, creditur, donec doceatur de non integritate, cum in dubio præsumptio affiat exhibenti, nisi de mendacio convincatur. decis. 70. par. 10. rev.

Non datur tamen coactio præcisa ad factum, ubi juret non habere, cum tunc admittatur ad offerendum id, quod interest, nisi de mendacio quoque convincatur, juxta generali regulam, quam habemus in materia præcise obligationis ad factum, necne. Buratt. dec. 808.

Super scripturarum item vel juri produtione, vel repetitione, quæstiones in prædictis solent, ad plures effectus; Primo scilicet illum approbationis, vel confessionis eorum, quæ in eis continentur, atque de hoc supra in Rubrica confessionis agitur. supradicta disc. 23.

Secundo, an & quando dicatur facta realiter realiter, vel potius verbaliter tantum; Id autem certam non recipit regulam, quoniam cum facti sit quæstio, ex ejus circumstantiis decidenda est; Illæ vero considerationes, quæ fieri solent, an scilicet adsit verbum factum &c. sive an Judex dicat visum &c. cum similibus, inducent argumenta probabilia quidem, non autem necessaria. Gregor. & add. decis. 59. Buratt. & add. decis. 217. Ottob. decis. 58. Bich. decis. 466.

Et quando sufficiat solum verbalis, penderet stylu, cui in hoc est deferendum. Gregor. decis. 58. Royas decis. 293. Regulariter autem de jure non sufficit. Buratt. decis. 134.

Debet item fieri producere parte citata;

Nim

- 36 Nisi ea præsente fiat; Vel nisi agatur ad solum effectum docendi de interesse pro admissione ad causam. *Gregor.* & add. dec. 209. *Buratt.* dec. 134. *Vest.* lib. 6. cap. 1. & lib. 5. cap. 2. *Rovit-pragm.* 26. de officio S. R. Conf.
- 37 Producta in uno judicio, non præjudicant in alio etiam inter easdem partes, minusque profundunt, nisi reproducantur vel repeatantur. *Buratt.* & add. dec. 94. Quæstione cadente, ubi idem sit judicium, sed mutetur judex. *decif.* 209. post *Zacch.* de obt. *Cam.*
- Generalis item productio omnium iurium & scripturarum non sufficit ut potè nimis vaga. *Buratt.* dec. 134.
- 38 Minuque assertio productionis, nisi de illo-
rum tenore constet; Solumque ea aliquod præ-
stare potest adminiculum, cum aliis coniungendis. *Manic.* *decif.* 352.

De probatione per scripturas privatas,
earumdemque scripturarum recognoscendi modis;
Ac etiam de probatione per sigillum, vel typum.

S V M M A R I V M

- D**E duplice effectu istius probationis, in præjudici-
um scilicet scribentis, & tertii.
- 2 Quando scriptura non probat contra scri-
bentem, multo minus contra tertium.
 - 3 Quod ad principalem nil refert, an ad sit tempus, vel te-
sies &c.
 - 4 Nihil autem refert quoad tertium, & de ratione.
 - 5 Habens scripturam privatam anteriorem, non vincet
instrumentum publicum posterius nisi trino teste mu-
nit a sis.
 - 6 De opinione volentium, ut id sit de forma præcisâ, &
non sufficiat equipollens.
 - 7 Quod probabilitas sit, ut admittatur equipollens, &
de ratione.
 - 8 Quomodo adesse dicatur equipollens.
 - 9 De partibus, quæ in iudice concurrere debent, & qua-
re.
 - 10 Ad quid adverti debeat pro dicto equipollente imple-
mento. & quomodo si enim simul veritas cum falsitate.
 - 11 Idem est habere instrumentum publicum, ac alium
documentum, vel probationem certam ad hunc effe-
ctum.
 - 12 An intret distinctio summa, quod scriptura privata
excedat, vel non excedat libram aurum.
 - 13 Quod in nobili, & Magnate est modicum, in paupe-
re, & populari est multum &c.
 - 14 An ista lex de qua num. 5. procedat in quocumque
alio casu in quo intret eadem ratio.
 - 15 Quod facilius, vel mitius procedatur cum conten-
dente de liberatione.
 - 16 Quod materia non sit capax regula generalis.
 - 17 Quis sit tertius, quibus minus scriptura privata præ-
judicet.
 - 18 De suspicione antidote in beneficialibus.
 - 19 Quenam questiones cadant, respectu principalis de-
bitorum.
 - 20 De regula quod scriptura probet contra scribentem.
 - 21 De ampliatione, & quod sola subscriptio sufficiat.
 - 22 Etiam si corpus scripturæ sit manu alterius partis.
 - 23 Subscriptio restringit, seu qualificat scripturam.
 - 24 An sola scriptura sine subscriptione sufficiat.

- 25 Regula de qua numer. 20. procedit etiam in episto-
lis familiaribus, seu literis missivis.
- 26 De duplice modo impugnandi scripturam.
- 27 De materia subscriptionis, que afferatur facta in fo-
lio albo.
- 28 In hac materia non cadunt exceptiones doli, vel me-
tus, aut falsi presuppositi.
- 29 De materia recognitionis, & de præxi Auditoris Ca-
mera recognitionis facta in continuacione.
- 30 Quod id non practicetur in Rot. a.
- 31 Quod in hoc non cadat certa regula, sed debet de-
ferri stylis.
- 32 An heres teneatur recognoscere manum ejus auto-
ris defuncti.
- 33 De scripturis privatis testatorum, & ultimarum vo-
luntatum.
- 34 De pluribus modis recognitionis.
- 35 Quare isti modi non examinentur, & quod debet
deferrri stylis.
- 36 De distinctione inter scripturas, in quibus adhiberi so-
lent testes, vel non.
- 37 De stylo Curia attendendi in distincione recognitionis
per testes habentes notam manum, etiam in schedulis
testamentariis.
- 38 Quod ista dicatur probatio semiplena, quod decla-
ratur &c.
- 39 De eodem, & que regula de super cadat.
- 40 De recognitione per senestrellas, aut inter plures, &
individuatione peritorum.
- 41 Modus scribendi ex tempore variatur.
- 42 An scriptura antiqua iudice at recognitione.
- 43 Quoniam de materia de iudiicio debet.
- 44 De recognitionis retroractione.
- 45 De aliis ad materiam.
- 46 Scriptura memoria causa non probat contra scri-
bentem.
- 47 De probatione per sigillum, vel typum,

D I S C . XXIX.

AD duplicem effectum, disputari solet de
probatione, ac etiam de actione, quæ resul-
terat a scriptura privata; Primo nempe, con-
tra ipsum scribentem, ejusque hæredes, vel alios
qui dependent ab eo causam habeant, ut quid-
quid ipsi scribenti obstatet, obstat etiam aliis,
ut potè ejus personam representantibus; Et se-
condo, circa præjudicium tertii, non solum ubi
sit tertius, qui veniat iure suo independenter à
scribente, ut est (ex gr.) successor fideicomis-
si, vel feudi, seu beneficii cum similibus; Sed et-
iam ubi sit tertius, quicquam habeat ab ipso scri-
bente, quem agnoscat in auctorem, sed causa sit
necessaria, & talis, quod ejusdem auctoris fa-
ctum posterius, ei præjudicare non valeat, mi-
nusque suum jus tollere, ut ex gr. iest creditor
vel emptor, seu cessionarius, aut etiam donata-
rius inter vivos, cum similibus.

Ad istum itaque secundum effectum, proba-
tionis scilicet præjudiciale tertio, per scriptu-
ram privatam alterius; Illa in primis statuenda
est regula generalis, & certa, ut de scripturæ ve-
ritate, ac validitate in primis ita constare debeat,
quod illa sufficientem faciat probationem cō-
tra ipsum scribentem, vel ejus hæredem, aut al-
terum successorem dependentem, ut supra, qui
ejus personam representet, quoniam si non pro-
baret contra ipsum principalem, sine dubio
non probabit contra tertium; Ad instar eorum,
quæ habentur ad materiam dotis confessatae,
quod